



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Medvlla Theologiæ Moralis

Busenbaum, Hermann

Monasterii Westphaliæ

Dub. III. An excuset dispensatio totius vel partis?

urn:nbn:de:hbz:466:1-40957

Azor 1. p. l. 1. c. 11. Lay. lib. 1. t. 4. c. 14. Excipe tam
men casum, de quo infra l. 2. t. 3. c. 2. d. 1.

III. Si observatio legis humanæ necessaria sit
ad conservandum bonum, aut avertendum ma-
lum commune, quod pluris sit, quam vita pro-
pria, tunc lex illa obligat cum periculo vitæ, ut,
v. g. si dux mandet militi non discedere ex statio-
ne, item, si perit uræ sint animæ, nisi Pastor audeat
ægros tempore pestis. *Lay. l. c.*

IV. Alioqui nulla præcepta humana, etiam
Ecclesiastica, per se obligant cum periculo vitæ,
aut similis incommodi. *vid. Sanch. 1. mor. c. 18.*
ut, si v. g. cogaris metu mortis contrahere cum
consanguinea, in gradu prohibito lege Ecclesia-
stica, posses contrahere (in speciem) non tamen
posses consummare: quia cum matrimonium
esset irritum, fornicareris, quod intrinsecè malum
est. *Sanch. de matr. l. 7. d. 5. n. 4.*

V. Per accidens interim accidere potest, ut lex
humana obliget cum periculo vitæ, ratione al-
terius præcepti juris naturalis, aut divini concur-
rentis, ut v. g. si quis cogere vellet transgredi
præceptum Ecclesiæ, in odium fidei, vel contem-
ptum Religionis. *vid. Sanch. l. c. Kön. 3. p. t. 2. d.*
13. dub. 12.

DUBIUM III.

*An excusat impotentia totius, vel
partis?*

Resp. I. Cum ad impossibile nemo teneatur,
certum est, quod impotentia excusat, etiam illa,
cui ante causam cum peccato dedisti; dummodo

dc

de hoc doleas. Quare id præcipue hic dubitatur, an, qui non potest implere totum, teneatur ad partem?

Resp. II. Si præceptum tale sit, ut commodè possit, aut soleat dividi, atque in ejus parte salveretur ratio seu finis præcepti, tunc qui non potest servare totum, debet servare partem, quam potest. Quod si verò non salvetur ratio præcepti in parte, neque id commodè possit, aut soleat fieri, tunc qui non potest totum, (hoc est tantum, quo moraliter impleri censeatur integrum præceptum,) is non tenetur ad partem. Quæ omnia aestimanda sunt, 1. ex intentione legislatoris. 2. ex ratione, fine, & materia legis. 3. ex iudicio prudentium. 4. ex communii usu. Ita San. 1. mor. c. 19. Laym. l. 1. t. 4. c. 19. Unde resolvuntur hi Casus.

I. Qui non potest legere omnes Horas, debet dicere eas, quas potest: quia dividuæ sunt. Lay. l. c. Bon.

II. Qui in Quadragesima non potest jejunare, debet abstinere à carnibus, si potest; aut qui non potest omnibus diebus, tenetur iis, quibus potest. Ita Lay. l. c. & Bon.

III. Qui potest notabilem partem sacri (v.g. usq; post consecrationem) audire, aut Horarum dicere, aut commodè potest cum alio (& soleat) tenetur; alioquia non. Ibid. v. infra de Horis.

IV. Si quis carens Breviario, pauca ex Horis sciat memoriter, non tenetur ea dicere. Ibid.

V. Qui obligatur visitare limina Apostolorum, Romæ, & scit se eò pervenire non posse, non tenetur

metus

netur ingredi iter; quia nec finis, nec ratio præcepti salvatur. *Ibidem & Suar. Azor. Bon. d. 1. q. 8. p. 1.*

DUBIUM IV.

An excusat dispensatio?

Resp. In jure humano dispensatio legislatoris, vel parem potestatem habentis, facta ex justa causa, excusat à transgressione præcepti. Est communis. *Sanch. Az. 1. p. 1. s. c. 15. Salas d. 20.*

Ratio est, quia cum sit author suæ legis, potest quæcumvis excipere. Dixi 1. *ex iusta causa:* quia si temere, & sine causa dispenset, tenet quidem dispensatio, peccat tamen tam dans, quam petens dispensationem, contra ius naturale, dictans partem debere conformari suo toti, nisi iusta causa excusat. *Sanch. l. 8. d. 18. Suar. Fill. n. 438.* & quidem ut vult *Suar. moraliter, venialiter, ut Pon-*
sius apud Dian. quem v. p. 8 t. 3. R. 8. 9. & 10. Si dubitet, an causa sit iusta, posse dispensare, vult *Sanch. contra Bonac.* qui dicit peccare. Esi autem causa sit iusta, non tamen tenetur dispensare, nisi cum vel ius præcipit ex ea causa dispensare, vel necessarium est ad commune bonum, vel spirituale poenitentis, vel ad avertendum grave damnum, aut publicum scandalum, & sine dispendio fieri potest, *Dia. p. 8. t. 3. R. 27. & 28. cont.* *Suar. Sanch. c. 1.* Dixi 2. *legislat.* quia dispensatio inferioris in lege superioris, sine iusta causa, invalida est, ac proinde non excusat à transgressione præcepti. Ratio, quia, qui nomine alterius sine causa dispensat, dissipat. *Suar. l. 6. c. 19. Sanch. l. 8.*